



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Patriarchae Constantinopolitano.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

in secula, sicut tantus Princeps manum extendas, & exercitum dirigas copiosum, sperans in eo qui est spes omnium, qui non deserit sperantes in se, quod paganorum multitudinem à facie tui exercitus effugabit. Nos enim remissionis & protectionis, quam propter hoc aliis Principibus Christianis indulsumus, te volumus esse participem, dummodo ad succursum terræ sanctæ potenter assurgas. Studeas etiam, immo sicut potes efficias, ut Græcorum Ecclesia redeat ad sedis apostolicæ unitatem, & ad matrem filia revertatur: ut oves Christi ab uno pastore regantur, sicut ei mandatur à Domino: *Diligis me, Simon Petre? Pasce oves meas.* ut & sub uno capite cuncta membra corpori connectantur, illo videlicet cui Dominus ait: *Tu vocaberis Cephas, quod caput interpretatur.* Alioquin, quantumcunque nobis molestum existeret serenitatem tuam in aliquo molestare, non possemus ulterius sub dissimulatione transire, quin nostrum exequeremur officium, cum per Dei misericordiam tempus acceperimus justitiam judicandi. Inspiret autem animo tuo ille qui ubi vult spirat, ut ad honorem & salutem tuam & exaltationem Ecclesiæ tanquam devotus filius paternam exhortationem admittas, præsentans nobis materiam immo causam quòd ad honorem & profectum imperatoris celsitudinis, sicut in proposito gerimus, efficaciter intendere debeamus. Mittimus autem ad tuam sublimitatis præsentiam dilectos filios Albertum Subdiac. & Capellanum nostrum apostolicæ sedis Legatum, & Albertinum cameræ nostræ Notarium, familiares nostros, quos suæ prohibitatis & honestatis obtentu sincerae caritatis brachiis amplexamur, in his quæ tecum tractanda sunt seu etiam statuenda pari præditos potestate: qui tecum super prædictis & aliis quæ tibi ex parte nostra proponuntur, & nobis ex parte tua fuere proposita, tractent & statuunt quæ ad honorem Ecclesiæ ac profectum imperij pertinuerint, quibus & serenitatem tuam fidem indubitam volumus adhibere. Licet enim majores ad te possemus nuncios destinare, istos tamen ad hoc prælegimus, ut dum minus quæ sua sunt quæsierint, communi profectui, Ecclesiæ scilicet & Imperij, sollicitè magis & diligenter insistant: quos serenitati tuæ propensius commen-

damus, rogantes attentius ut eos honorificè ac benignè recipias, & sicuti decet magnificum & munificum Principem, sine dilatione remittas, ut operemur dum tempus habemus. Ad hæc, dilectos filios Ildeb. & Iohannem Gregorij nuncios tuos benignè recepimus, quorum fidem & prudentiam nostro tibi testimonio commendamus super his quæ ipsis ab imperiali magnificentia commissæ fuerant exequenda.

P A T R I A R C H Æ
Constantinopolitano.

Reprobanda quondam propter ingratitudinis vitium perfidialudæorum, & oblato synagogæ (quia non cognovit tempus visitationis suæ) libello repudij, unam sibi Ecclesiam ex gentibus congregatam, non habentem maculam neque rugam, Dominus noster elegit, juxta quod legitur in Canticis canticorum: *Vna est electa mea, sponsa mea, immaculata mea.* Ipse quoque Dominus Iesus Christus unum esse ovile ovium, unum pastorem, in Evangelio protestatur, & in Apostolorum Symbolo unam esse catholicam & apostolicam Ecclesiam fides catholica profiteretur. Hanc autem idem Dominus Iesus Christus in se ipso lapide angulari fundavit, & ejus magisterium Apostolorum principi beato Petro, cui licet sufficientes, in apostolatus successimus dignitate, concessit: *Tu es,* inquit, *Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. & paulo post subdidit: Et tibi dabo claves regni cælorum. & etiam curam ovium suarum eodem verbo tertio repetito commisit, dicens: Pasce oves meas. & quòd ejus fides nunquam deficeret, se orasse fatetur, loquens ad eum in Evangelio: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficeret fides tua. & tu conversus aliquando confirma fratres tuos.* Præterea licet universis Apostolis dixerit in communi, *Accipite spiritum sanctum, ut quorum remiseritis peccata remittantur eis,* ad eum tamen verbo utitur speciali dicens: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Hoc autem Græcorum populus non attendens, aliam sibi confinxit Ecclesiam, (si tamen quæ præter unam est, Ecclesia sit dicenda) & ab apostolicæ sedis unitate recessit, nec constitutionem Domini nec Petri magisterium imitatus, & inconsu-*

Epist. 354.
Quod Romani
Ecclesia sit ma-
ter omnium Ec-
clesiarum, à qua
Græci nullo mo-
do discedere
possint.

Epist. 354.
In eam Reges
Anglorum pa-
triarcho, &
archidiacono
et aliorum sa-
cerdotum quæ-

tilem vestem Domini, cui crucifixorum manus in aliarum vestium divisione percit, scindere usque hodie, licet frustra, conatur, non attendens quod una tantum extitit arca, intra quam sub uno rectore quicumque fuerunt, leguntur in cataclismo salvati: qui autem extra ipsam inventi sunt, omnes in diluvio perierunt. Quia igitur id in scandalum nostrum & fidei Christianae redundat dispendium, nec jam possumus vitare clamores Ecclesiae generalis, quae nos & praedecessores nostros negligentiae ac tarditatis redarguit, monemus frat. tuam & exhor. in Domino, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus omnimodam sollicitudinem & efficacem operam interponas, ut Graecorum universitas redeat ad Ecclesiae unitatem, & ad matrem filia revertatur, & fiat iuxta verbum Domini unum ovile, & unus pastor. Alioquin non possemus ulterius &c. *ut supra usque ad verbum* inspiret. Ceterum cum peccatis nostris exigentibus rebus &c. *in eundem modum usque ad verba* in cruce Domini nostri Iesu Christi, miramur quod carissimus in Christo filius noster Constantinopolitan. Imperator illustris nec exuli Christo subvenit, nec liberationem terrae natiuitatis ipsius, in qua Deus Rex noster ante secula salutem dignatus est operari, sicut debuerat, intendere haecenus procuravit, cum tam ex vicinitate locorum &c. *usque ad verbum* adimplere. Cum igitur terrae sanctae, in qua pedes Christi steterunt, totis desideremus affectibus subveniri, fraternitatem tuam rogamus attentius & exhortamur in Domino, quatenus praefatum Imperatorem monere studeas & inducere diligenter ut ad succursum ejus potenter intendat.

ILLVSTRI REGI
Francorum.

Mediator Dei & hominum Christus Iesus redemptionis humanae mysterium impleturus, pacem discipulis pro hereditate legavit, ut eam servarent adinvicem, & ad observationem ejus ceteros invitarent, *Pacem, inquit, meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Propheeta quoque monemur consilio ut pacem non solum quarere, sed etiam persequi debeamus, *Inquire, dicentis, pacem, & persequere eam.* Vnde nos, qui vices Christi licet insufficientes exercemus in ter-

ris, ejus sequentes exemplum, & praedecessorum nostrorum consuetudinem imitantes, ad reformandam inter discordantes verae pacis concordiam intendere volumus & tenemur, praesertim cum ex discordantium ipsorum dissidio magnum tam ipsis quam Ecclesiis & pauperibus terrae suae immo & toti Christiano populo provenerit detrimentum. Nam ut stragem virorum, Ecclesiarum gravamina, pauperum oppressionem, & totius tam Gallicanae quam Anglicanae gentis periculum, quae propter guerram quam tu & carissimus in Christo filius noster Rex Anglorum illustris adinvicem exercetis, provenerunt haecenus, taceamus, communi populi Christiani dispendio & excidio Hierosolymitanae provinciae tuae & ipse causam videmini praestitisse & materiem, cum hominibus utriusque regni propter tuam & ejus dissensionem detentis, non solum quae amissa fuerant ab initio in partibus transmarinis nondum recuperari potuerint, immo his etiam grave videatur periculum imminere quae a Christianis haecenus sunt possessa. Antiquis enim & tristibus rumoribus novi ac tristiores supervenere rumores, quod cum Theutonici Accon navigio &c. *usque ad verbum* assumite. Quia vero nos ad subventionem terrae orientalis, tam in personis, quam rebus, dilectos filios nostros Soffredum tituli sanctae Praxedis & P. sanctae Mariae in via lata Diacon. Cardin. apostolicae sedis Legatos, viros honestate morum, maturitate consilij, & scientia reverendos, quos inter alios fratres nostros speciali caritate diligimus, ministerio proprio sanctae crucis caractere curavimus insigniri, ne quid ex contingentibus omittere videamur, dictum sanctae Mariae in via lata Diacon. Cardinalem, virum scientia praeditum, honestate praclarum, Deo & hominibus (sicut speramus) acceptum, ad tuam & ejusdem Regis praesentiam duximus destinandum, legationis ei officium committentes. Ideoque serenitatem tuam rogamus, monemus, & in remissionem injungimus peccatorum, quatenus eum sicut Legatum apostolicae sedis recipiens & honorans, ad exhortationem nostram & ejus infra duorum mensium spatium post receptionem praesentium & commotionem ipsius factam utrique vestrum, quia hic est necessarium populo Christiano ut id sine dilationis diffugio

C c iij

Epist. 355.
Ve cum Rege
Anglorum pa-
cem faciat, &
contra Sarra-
cenos bellum sa-
cium gerat.